

Nf. 24.

461
PRORECTOR
ALMAE FRIDERICIANAE,
FRIDERICVS HOFF-
MANNVS,

CONSIL. MEDICVS ET PROFESSOR
REGIVS,
VNA CVM PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

A D
FESTVM
PENTECOSTES
M DCCXIX.

DIGNE CONCELEBRANDVM,
ET

SPIRITVM SANCTVM
CVM DEO PATRE ET FILIO,
PIA DEVOTAQVE MENTE
CONGLORIFICANDVM,

CIVES ACADEMICOS

peramanter exhortatur.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS GRVNERI, Acad, Typogr.



Δόξα τῷ θεῷ καὶ πατρὶ μετὰ τῆ υἱᾶ σὺν τῷ
πνεύματι τῷ ἁγίῳ.

Gloria Deo & Patri cum Filio & cum Spiritu S.



DOxologiam hanc festivo, in quo celebrando versamur, Tempori apprime congruam, quum, pro libertate christiana sensusque veritate, alternatim adhiberet *Basilii M. Casariensis in Cappadocia Archiepiscopus* cum illa altera δόξα τῷ θεῷ καὶ πατρὶ δια τῆ υἱᾶ ἐν ἁγίῳ πνεύματι, *Gloria Deo & Patri per Filium in Spiritu S.* quaestio ipsi confestim movebatur a quibusdam Auditoribus super hac phrasium permutatione, ita ut eum uti dicerent vocibus inusitatis, imo inter se pugnantibus. Quæ quidem controversia occasionem suppeditavit Patri doctissimo, rationes suas integro tractatu de Spiritu S.* explicandi, idque tam accurato argumentandi & differendi studio, ut ex sola recensione eximia pro animabus nostris in doctrina de Spiritu S. & SS. Trinitate confirmandis, sperari merito possit utilitas.

Videri poterat legitima *καυνοφωρίας* aversatio, qua ducerentur isti sui Doctoris Monitores. Ast longe aliam subfuisse causam Vir veri amantissimus indicat, dum *Habent isti*, inquit, *vetus quoddam commentum, ab Aëtio, hujus hæreseos principe, inventum, qui in Epistolis suis alicubi scripsit affirmans ea, quæ secundum naturam*

)ο(

* Tom. II. opp. B. Basilii M. Ed. Paris. 1637. p. 291. sqq.

rum am dissimilia sunt, dissimiliter proferri, ac vice versa, quæ dissimiliter proferantur, esse dissimilia secundum naturam. Ad hujus
 1. Cor. VIII. 5, 6 *dicti confirmationem cuavit Apostolum dicentem, unus Deus & Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & unus Spiritus S. in quo omnia. Unde Deo quidem & Patri tanquam*
eximiam quandam portionem attribuunt illud ex quo; Filio vero & Deo assignarunt illud Per quem, Spiritui autem S. illud In quo: negantique hunc Syllabarum usum usquam inverit. Et quidem his
Syllabis Ex quo mundi conditionem volunt significari; rursus his, Per quem, operis ministrum aut instrumentum; his denique In quo
tempus aut locum declarari: ut Filius, qui condidit universa, intelligatur nihilo honorabilior instrumento, porro Spiritus S. nihilo plus ad res condendas momenti attulisse videatur, nisi quod tempus aut locum præbuerit rebus conditis. Ad hos autem errores perduxit illos etiam
*externæ philosophiæ Scriptorum observatio, qui has Syllabas Ex quo & Per quem rebus natura separatis attribuerunt.**

*Haud injuste igitur novitatis culpam ipsis illis Basilii impingit censoribus, & qui consueta fastidiunt, ac vetera tanquam obsoleta submovent, ii sunt, ait, qui novas vocum fitiones recipiunt, quemadmodum ii qui studiosi sunt ornatus, semper vestem novam præferunt communi. Hinc intrepide veritatem Doxologiæ a sese adhibere afferit, et postquam fundamentum illud hypotheseos Aetianæ, quo vocula Ex soli Patri, Per, Filio & In Spiritui S. tribuenda statuebatur, ex clarissimis Scripturæ, hos loquendi modos inter se permutantis, testimoniis, penitus everterat,** ingenue subiungit: Proinde quod a majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & glorificationis hymnos Patri simul cum Filio offerimus. Quamquam hoc nobis non est satis, sic a Patribus esse traditum, nam & illi Scripturæ secuti sunt auctoritatem.*** Explicatius etiam proponit utriusque Doxologiæ genuinum significatum, dum dicit, *quum in Unigenito nature Majestatem ac dignitatis excellentiam contemplantur, tribuimus illi gloriam cum Patre. Rursus quum consideramus, quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipsos ad Patrem adduxerit, Deoque nos asseruerit, confitemur hoc beneficium per ipsum & in ipso peractum esse in vobis, ut altera particula cum quo propria sit glorificantium, altera per quem sit propria gratias agentium. †* Illud

* Cap. II. ** Cap. IV. V. VI. *** Cap. VII. † ibid.

Illud autem adhuc propius inservit pro Meditationibus Pentecostalibus suffulciendis, quod Basilius Spiritus S. quoque divinitatem eodem libro tam mascule adversus suæ ætatis Pneumatomachos defendit ac vindicat. Temeritatem quidem illorum ita eloquitur:

*Non est, inquit, cum Patre Filius, sed post Patrem. unde consequitur, Per Filium gloriam Patri tribuendam esse, cum Filio nequaquam: eo, quod hæ voces cum Filio æqualitatem declarent honoris, per Filium vero ministerium significant. Rursus nec Spiritum, inquit, sanctum oportet cum Patre & Filio collocare, sed sub Filio & Patre, ut intelligatur non ejusdem ordinis cum illis, aut ejusdem numeri, sed subditus.** Quemadmodum igitur Basilius falsas istas de Filio DEI argutationes gravissimis rationibus destruit, sit Spiritus S. quoque divinitatem egregie exponit: ita ut præcipue mereatur exscribi memorabilis ille locus, ** quo Ecclesiæ orthodoxæ sententiam de Spiritu S. perspicue enarrat. Jam etiam de Spiritu S. ait, *communes nostræ sententiæ cujusmodi sint expendamus, tum eas quæ nobis de illo e Scripturis collectæ sunt, tum eas quas Patrum traditione sine Scripto accepimus.* Primum igitur qui audit appellaciones Spiritus, erigitur animo, & ad supernam naturam cogitationem attollit. Nam Spiritus Dei dictus est, & Spiritus veritatis, qui ex patre procedit. Spiritus rectus, principalis. Spiritus S. quæ postrema propria est illius ac peculiaris appellatio. Quod sane nomen omnium maxime declarat, id quod est incorporeum, & ab omni materia purum, atque incompositum. Quapropter & Dominus, ut animum, qui putat Deum in loco adorandum, doceat, eum incomprehensibilem & incorporeum esse: Spiritus, inquit, est Deus. Proinde fieri non potest, ut qui audit Spiritum, naturam loco circumscriptam, aut mutationibus & alterationibus obnoxiam, aut omnino creaturæ similem, imaginatione imprimat menti suæ: sed ad id quod summum est cogitatione proficiscens, intelligibilem substantiam cogitet necesse est, virtute infinitam, magnitudine incircumscriptam, nec temporum, nec seculorum dimensionem recipientem, nemini bona, quæ habet ipsa, invidentem: ad quam omnia convertuntur, quæ egent sanctificatione, quam omnia appetunt juxta virtutem viventium, cujus afflatu velut irrigantur, & adjuvantur, ut perveniant ad proprium suum naturalemque finem: Sic perficientem cetera, ut ipse in nullo deficiat: non aliunde parva vita viventem, sed qui sit ipse
vite

* Cap. VI.

** Cap. IX.

vita largitor, nec accessionibus auferentem, sed plenum, rectum, in se ipso collocatum, qui nusquam non adest; sanctificationis parentem: lucem intelligibilem, uniuersae potentiae rationali, ad veritatis investigationem, velut illustrationem quandam ex sese praebentem; natura inaccessibleis, sed qui capi possit ob benignitatem: omnia quidem implentem virtute, sed solis vis, qui digni sunt, communicabilem, quibus sese non eadem impertit mensura, sed iuxta proportionem fidei disperitur vim suam. Simplicem iuxta essentiam, sed potentius varium: qui singulis totus adest, & totus ubique est: qui sic diuiditur, ut nihil ipse patiatur: cuius sic omnes participes sunt, ut ipse maneat integer, radii solaris in morem, cuius beneficium sic adest ei, qui, fruitor, ut ei quasi soli adsit, cum & terram illustret, & mare, & aeri misceatur: itidem & Spiritus S. unicuique capacium quum adsit quasi soli, omnibus sufficientem & integram gratiam infundit; quo fruuntur quaecumque de illo participant, quantum ipsa sua natura possunt capere, non quantum potest ille. (*)

His ita declaratis ad eos se convertit S. Basilius, qui contende-
bant non oportere Patri & Filio adungere Spiritum S. partim eo, quod sit alienae naturae, partim quod dignitate sit inferior. Hic provocans ad Baptismi institutionem, si Dominus, ait, aperte in tradendo salutifero baptismo praecepit discipulis, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S. haud dedignatus cum illo consortium, contra isti dicunt, non oportere Spiritum Patri Filioque conjugere, an non Dei praecepto palam adversantur? Et porro, si Dominus nobis ut necessarium ac salutare dogma tradidit, Spiritum cum Patre conjugendum esse, his autem secus videtur, sed dividere ac distrahere volunt Spiritum, & ad servilem naturam detrudere, an non verum est, apud illos blasphemiam ipsorum plus habere ponderis, quam Domini praescriptum? --- Christiani unde nos? utique per fidem, dicit quilibet. Servamur autem quo modo? nimirum regenerari per gratiam, quae confertur in baptismo. Nam unde alioqui? Et postea, cum sciamus, hanc salutem per Patrem & Filium & Spiritum S. certo promitti, num doctrinae formam, quam accepimus, abijciemus? Id profecto multis dignum suspirium fuerit, si comperiamur nunc longius abesse a salute nostra, quam tum, cum credidimus. Etenim si, quod tunc receperimus, nunc abnegamus, non minus damni fuerit,

* Cap. IX.

fuert, quam si quis expers baptismatis decedat. - - - Nam si mihi vitæ est initium baptismus, sique dierum omnium primus est dies regenerationis, perspicuum est, & vocem illam gratiosissimam esse mihi, quæ in adoptionis gratia prolata est. - - - Illud mihi ipsi ego precor, ut cum hac professione contingat hinc decedere ad Dominum, & ipsos hortor, ut inviolatam seruent fidem usque ad diem Christi, indivulsum a Patre & Filio custodiant Spiritum S. quam doctrinam in baptis- mate receperunt, & in professione fidei atque in persolutione plenæ gloriæ perseverent. (*)

Cæterum quæ venerabilis ille Ecclesiæ Antistes Capp. seqq. (***) tum pro veritate adstruenda orthodoxa, tum pro destruenda falsitate multiplici denegantium Spiritui S. divinam gloriam, accurate disputat, uberiora sunt & prolixiora, quam ut his paginis recenserentur queant omnia. Sufficiat nobis, pro scopo nostro iam adduxisse paucula, quibus sana Antiquitatis piæ doctrina de Spiritu S. nobis in mentem revocetur, & mandata divinitus ejusdem conglorificatio inculcet. Utique revereri debemus & venerari Spiritum, quem Scriptura (quod Basilius & ipse urget) appellat *Dominum*; *cujus inhabitatione* (in corde & corpore) Fideles fiunt *templa Dei*; (***) quem ubique esse David prædicat. (†) Num enim, qui ^{2. Cor. III.} *natura divinus est, qui magnitudine incomprehensus, qui potens in o- ^{17. 18.} *perationibus, qui bonus in benificentis, hunc non supra modum esse-* ^{1. Cor. VI. 19.} *remus, non supra modum glorificabimus?* (*) Non tantum *in Spiritu* ^{III. 16.} *sancto* danda est gloria Deo, (uti illi contendebant Pneumatomachi) ^{Pl. CXXXIX.} sed & *ipsi Spiritui S.* (***) Miremur, cum Basilio nostro, imo detestemur, hominum istorum amentiam, qui ipsi quidem se cum Christo vivificatos reputabant, Sancto autem Spiritui vitam cum Christo denegabant; qui Sanctos cum Christo esse facti, nolebant Spiritui vel hoc tribuere, ut æque saltem, ac homines, cum Christo sit; qui hæredes Dei & cohæredes Christi se esse gloriati exhæredem faciebant Spiritum, & alienum a communione Dei & Christi ejus. Recte equidem, *Pudet, inquit S. Pater, reliqua adjungere, quod tu quidem expectas fore, ut cum Christo glorificeris - - Spiritum autem sanctificationis non glorificas simul cum Christo, tanquam nec pari quidem**

(*) Cap. X. (***) Cap. XI. ad XX. (****) Cap. XXI. (†) Cap. XXI.

(*) Cap. XXII. in fin. (***) Cap. XXV. XXVI. XXVII. (****) Cap. XXVIII. XXIX.

dem tecum honore afficiendum ducens. Et tu quidem speras te cum eo regnaturum, Spiritum vero gratiæ afficere contumelia, servi famulique locum ei assignans. Atque hæc dico, non ut offendam, tantundem honoris duntaxat deberi Spiritui in glorificatione, sed ut illorum demeritiam redarguam, qui ne hoc quidem illi concedunt, sed velut impietatem horrent in gloria Spiritus consortium cum Patre & Filio. (***)

Sic sane ex vero de perversa illa in formulas pias censura suo tempore conquestus est Basilius, miserabilem de cætero Ecclesiæ faciem, quæ tunc erat, sat vivis depingens coloribus. (*) Utinam vero vel hodie careret Græcia & orientalis Ecclesia sententiarum in Spiritum S. injuriarum defensoribus! Utinam deessent inter orbis christiani in occidentem vergentis Colonos, qui similia opinionum commenta aut cogitationibus foverent, aut verbis insinuarent. Collustret tandem terram lumen Spiritus S. splendore undique diffuso, ut pulsas errorum tenebris, incolæ telluris facie resecta gloriam Domini inspectantes, in eandem transformentur imaginem de

a. Cor. III. 18. gloria in gloriam, tanquam a Domino Spiritu. Hic (ut Basilius verbis hanc quoque obsignemus veritatem) veluti Sol, purum nactus oculum, ostendet tibi in se ipso imaginem illius, qui videri non potest. In beata autem hujus imaginis contemplatione videbis ineffabilem archetypi pulchritudinem: per hunc (Paracletum) corda suscolluntur in altum, manu ducuntur infirmi, proficientes perficiuntur. Hic eis, qui a labe peccati purgati sunt, illucescens, per communionem, quam cum ipso habent, Spirituales reddit. Et quemadmodum corpora illustra pellucidaque, contacta radio solis, fiunt & ipsa supra modum splendida, & alium fulgorem ex se profundunt; sic & animæ Spiritu afflatæ, ac Spiritu illustrate, fiunt & ipse spirituales, & in alios gratiam emittunt. (**)

Sit ergo maneatque Gloria Patri & Filio, & Spiritui S. Sicut erat in principio, & nunc & in secula seculorum,
AMEN.

P. P. Halæ Magd. ipsa Fer. I. Petecost. MDCCXIX.

[*] Cap. XXX. [**] Cap. IX.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROR
ALMAE FRID
FRIDERIC
MAN
CONSIL. MEDIC
REC
VNA CVM PR
RELI

FES
PENTE

MDC
DIGNE CONC

SPIRITVM
CVM DEO PA
PIA DEVOT
CONGLO
CIVES AC
peraman

HALAE MA
TYPIS IOANNIS C



161

S

bl.

